

uertimus ex Vitruuio harundinibus & fronde, fronde et luto, harundinibus & stramentis, subacta cū paleis terra, stramentis. Scandulis vero, idest ligneis assulis vsos Romanos, auctor est Plinius lib. 16. cap. 10. Idem libri eius cap. 37. tradit, mauros mapalia sua scirpis tegere. Paulus Diaconus refert pantheona æreis tegulis tectum, quarum nos in summo fornice prægrandes aliquot vidimus. Iabolenus iurisconsultus pandectarum lib. 50. de verb. signific. plumbo tegi indicat, quod receptum est nunc est. Mei vtuntur latastris lapideis, aut tegulis, iisq; vel planis, vel hamatis cum imbricibus, sed ita collocatis, vt in duabus hamatis singuli imbrices inuehantur. Vtuntur et cerulei lapidis sectilibus laminis, crustis ue. Is lapis ferra dentata, vt lignum secatur, assulatimq; frangitur, non vt cæteri in cæmenta, ardosiam vocamus, Eo etiam Musici & Algoristæ pro abacis vtuntur, idest tabulis in quibus illi notas vocum sonituumq; idest ἄχαια, isti numeros subinde deletiles ducūt. TVNC VERO ET FABRICATIONIBVS. Muto & cōiunctionē, in e præpositionē. MATERIA QVE ET TEGVLA TECTA. Aliqui codices scribunt tectas, vt referatur ad domos. NEQVE RES SINE PRINCIPIORVM COE= TV NASCI. Cap. statim proximo sic ait.

Ex his ergo congruentibus cum res omnes coire nasciq; videantur, vt fortasse non abs re hoc loco coitu pro cœtu, legatur.

CAP.